

dem sex diebus opus erat. Omninoque parum veri simile est, ut Pylades amicum suum statim desereret, praesertim quum periclitaturum ab Argivis ex matris interfectione praevidere deberet. Quod si, ut aequum erat, mansisset Argis, nihilo minus, immo multo probabilius affuisset, quum adiuvandus in occidenda Helena tuendusque adversus Menelaum erat Orestes.

Eadem molesta subtilitate finxit Euripides chorum, quum videre iussus est ne quis ad aedes appropinquet, dum Helena interficiatur, vano strepitu territum gressus audire sibi videri cuiuspiam, quem statim nullum esse intelligit.

Contra egregia arte elaborata est eunuchi Phrygis persona, sub qua etsi non inepte Musgravius poetam putat Persarum mollitiam atque timiditatem risui et contemptui Atheniensium voluisse exponere, tamen magis crediderim eum imitatum esse Aeschylum, cui id consilium in Hectoris lustris fuisse videtur. De eo Athenaeus I. p. 21. E. Ἀριστοφάνης γοῦν, παρὰ δὲ τοῖς κωμικοῖς ἢ περὶ τῶν τραγικῶν ἀπόκειται πίστις, ποιεῖ αὐτὸν Αἰσχύλον λέγοντα·

τοῖσι χοροῖς αὐτὸς τὰ σχήματ' ἐποίουν·
καὶ πάλιν·

τοὺς Φρύγας οἶδα θεωρῶν
ὅτε τῷ Πριάμῳ συλλυσόμενοι τὸν παῖδ' ἤλθον
τεθνεῶτα,
πολλὰ τοιαυτὴ καὶ τοιαυτὴ καὶ δεῦρο σχηματί-
σαντας.

Qua arte Phrygis pavorem expresserit Euripides nos quidem ex verbis tantum et numeris possumus colligere, penitus autem percipiebant, qui et gestus hominis videbant et audiebant modos musicos. Quae si reputassent illi, qui hanc scenam ut iusto longiorem molestaque lo-